



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput X. De cavenda superfluitate verborum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

## CAPUT X.

*De cavenda superfluitate verborum.*

I. **C**aveas tumultum hominum quantum potes: multum enim impedit tractatus secularium gestorum, etiam si simplici intentione proferantur.

Cito enim inquinamur vanitate, & captivamur.

Vellem me pluries tacuisse, & inter homines non fuisse.

Sed quare tam libenter loquimur, & invicem fabulamur: cum tamen raro sine conscientiae læsione ad silentium redimus?

Ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus: & cor diversis cogitationibus fatigatum, optamus relevare.

Et multum libenter de his, quæ multum diligimus vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui & cogitare.

2. Sed

2. Sed proh dolor! sæpe inaniter & frustra. Nam hæc exterior consolatio, interioris & divinæ consolationis non modicum detrimentum est.

Ideo vigilandum est, & orandum, ne tempus otiose transeat.

Si loqui licet, & expedit, quæ ædificabilia sunt, loquere.

Malus usus, & neglectus profectus nostri multum facit ad incustodiam oris nostri.

Juvat tamen non parum ad profectum spirituales devota spiritualium rerum collatio: maxime ubi pares animo & spiritu in Deo sibi sociantur.

## CAPUT XI.

*De pace acquirenda, & zelo proficiendi.*

1. **M**ultam possemus pacem habere; si non vellemus nos cum aliorum dictis & factis, & quæ ad nostram curam non spectant, occupare.

Quo-